DIE PRIMA FEBRUARII. 12

OFFICIUM

S. CÆCILII

EPISC. ET MART.

Et Patroni Principalis Ecclesiæ, & Diœcesis Granatensis.

DUPLEX.

Omnia dicuntur de Communi unius Martyris Pontif. præter illa, quæ hìc assignantur propria.

OREMUS.

DEus, qui nos per Beatum Cæcilium Martyrem tuum, atque Pontificem ad agnitionem tui nominis venire tribuisti; concede propitius, ut per quem superni muneris rudimenta suscepimus, per eum subsidia perpetuæ salutis impetremus. Per Dñm. &c.

IN I. NOCTUR.

Leguntur Lectiones De Libro Ecclesiastici, Confitebor, *ut it Fest. S. Laur.* 10. *August.*

IN II. NOCT.

Lectio iv.

QUoniam varios, multiplicesq; triumphos, quos evãgelica prædicatio cumulavit, tempus nos dinumerare

rare non patitur, ad illos tota nostri sermonis confugit oratio, quos Hispaniarum Ecclesia reportavit, quæ à Sanctis Apostolis tot meruit habere Episcopos, quot dies mundus accepit. Verè mater luminum, fons dierum, quæ septenario corusco germinis sui toto Orbe resplendet. Felix, quæ meruit possidere tot virtutum pignora, quot illa arca præceptorum volumina sacrata gestavit.

℟. Honestum fecit illum Dominus, & custodivit eum ab inimicis, & à seductoribus tutavit illum: * Et dedit illi claritatem æternam. ℣. Descenditq; cum illo in foveam: & in vinculis non dereliquit eum. Et dedit. *Bened.* Christus perpetuæ.

Lectio v.

BEata cui in futura gloria tot adstant candelabra, quot hìc habuit Evangelii præcones; tot coronæ, quot infulæ; tot bravia, quot tormenta. Meritò proinde de venerando illo sanctorum numero scribens ad Alphonsum, & Sancium Hispaniæ Reges, & ad ejusdem Regni Episcopos Sanctus Gregorius Septimus Romanus Pontifex testatur, à Sanctis Apostolis ad Hispaniam septem illos Antistites directos fuisset, qui destructa Idolo-latria Christianitatem fundaverunt, Religionem plantaverunt, ordinem, & officium in divinis cultibus agẽdis

dis ostenderunt, & sanguine suo Ecclesias dedicaverunt.

℟. Desiderium animæ ejus tribuisti ei, Domine.* Et voluntate labiorum ejus non fraudasti eum. ℣. Quoniam prævenisti eum in benedictionibus dulcedinis: posuisti in capite ejus coronam de lapide pretioso. Et voluntate. *Benedict.* Ignem sui amoris.

Lectio vi.

EX his adest nobis hodie natalis Sancti Cæcilii, qui cùm mirabilem multitudinem Christi fidei subjugasset, Illyberi glorioso agone quievit. In cujus posteà civitatis excisæ locum Granata successit, quæ Patroni, ac Parentis sui tanta semper pietate memoriam recoluit, ut etiam sub Maurorũ tyrannide templum ejus nomini dedicatum, sacris Christianorum celebrandis, inviolatum extiterit.

℟. Stola jucunditatis induit eum Dominus: * Et coronam pulchritudinis posuit super caput ejus. ℣. Cibavit illũ Dominus pane vitæ, & intellectus: & aqua sapientiæ salutaris potavit illum. Et coronam. Gloria Patri. Et coronam.

IN III. NOCT.

Lectio S. Evangelii secundùm Joann.

Nisi granum frumenti, *ut in fest. S. Laur. die 10. August.*

Missa propria: Gaudeamus, &c. *pro Diœcesi Granatensi*; *&* Statuit, *de Communi unius Mart. pro reliquis Diœcesibus, cum Evangelio*: Nisi granum frumẽti, *ut in die S. Laur.*

HIS

HISPANIARUM.

Porrectis nomine Reverendissimi Archiepiscopi, & Capituli Ecclesiæ Granatensis non minùs enixis, quàm supplicibus instantiis, quibus pro extensione Officii, & Missæ Sancti Cæcilii Episcopi, & Martyris, jam sub die 26. Augusti 1702. pro illa Ecclesia approbatum ad universa Regna, ac Dominia Serenissimo Regi Catholico subjecta Sacræ Rituum Congregationi supplicatum fuit, illisque per Eminentissimum, & Reverendissimum Dominum Cardinalem de Belluga relatis, Sacra eadem Rituum Congregatio dictum Officium, & Missam respectivè singulis annis in die festo ipsius Sancti juxta approbationem Ecclesiæ Granatensis, ut suprà factam, ab omnibus Ecclesiasticis Sæcularibus, & Regularibus utriusque sexus, qui ad Horas Canonicas tenentur in cunctis Regnis, ac Dominiis Serenissimo Hispaniarum Regi Catholico subjectis, sub Ritu Duplici recitari, ac celebrari debere censuit, si Sanctissimo Domino nostro visum fuerit. Die 9. Aprilis 1729.

Factaque deinde per me Secretarium de prædictis Sanctissimo Domino nostro relatione, Sanctitas Sua benignè annuit. Die 6. Augusti 1729.

N. Card. Cosfia.

Loco ✠ Sigilli.

N. M. Tedeschi Archiep. Apamen.
Sac. Rit. Congr. Secret.